IVLII CAESARIS
RVGINELLI
I. C. MEDIOLANENSIS
PRACTICARVM QVAESTIONVM
RERVMQVE IVDICATARVM
Liber Singularis

IN QVO FREQVENTIORES ET VTILIORES
Controuerſiæ ad Iudicia Principum, Maiorum, Minorumque
Magiſtratuum pertinentes,

Declaratis diuerſarum Vrbium Prouinciarumque Statutis, ac Conſtitutionibus, Mediolani potiſſimum, & additis Supremorum Tribunalium DECISIONIBVS, dirimuntur.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVS

Cum Summarijs, & duplici Indice, altero quidem Argumentorum, altero vero Rerum & Verborum notabilium.

ET CVM SVPERIORVM LICENTIA ET PRIVILEGIIS

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SALAMANCA

VENETIIS · M DC X

APVD BARETIVM BARETIVM BIBLIOPOLAM
Ad Signum Beatæ Mariæ Virginis.

ILLVSTRISS. VIRO

HIERONYMO CAIMO

PATRICIO MEDIOLANENSI

POTENTISSIMI REGIS

HISPANIARVM

In ijs quæ pertinent ad res Italas Conſiliario ac Regenti.

I. CÆSAR RVGINELLVS IVRISC. MEDIOL.

PRÆCIPVA nonnullorum, qui in iure noſtro præclarè aliquid commentari, aut tractare voluerunt, mens ea fuit, vt ſummas, tractatusúe ante oculos ſibi tamquã exemplar proponerent: merito ſanè exiſtimantes, Cicerone duce lib. de Orat. 1. perfectam iuris ciuilis artem vberiorem, & faciliorem haberi poſſe, ſi in genera digeratur, quæ deinde quaſi quædam membra diſpartiantur, tum propria cuiuſque uis definitione declaretur. Alij verò arbitrati ſunt, omnem in iure definitionem periculoſam eſſe, tutiorem verò eam ſcribendi formam, quæ iuxta facti ſpecies, propoſitis hinc & inde dubijs, diſceptatione abſoluitur; qui ideo ad quæſtiones, & articulos confugerunt. Et licet ex eodem Cicerone lib. de Orat. 11. apud Ant. qui hominis ſpeciem pingere perdidicerit, poſſit cuiuſuis formæ ſpeciem pingere: negari tamen non poteſt, quin aliquem vno ſcribendi genere magis excellere alio videamus. Propterea cum ſuperioribus annis Commentarijs meis De Appellationibus tractatum elaboraſſem, ad quæſtiones quaſdam in foro frequentes, & valde controuerſas, vt de vtraque ſcriptionis forma periculum facerem, animum applicui. Quas cum vtcunque abſoluiſſem, easque in lucem hortantibus, impellentibusque amicis omnibus edere decreuiſſem, laudabilem morem, & antiquorum aliorum ſcribentium inſtitutum attendens, cœpi cogitare, cuinam hos meos labores dicarem. In primis autem tu vir ampliſſime in mentem mihi veniſti, cui eas iure dirigerem, dum initia mea erga te obſeruantiæ, quorum quidem nunc iucunda eſt recordatio, ante oculos mihi ſic ſe offerrent, & quæ maturiore ſtudio meo confirmata, beneficijs verò tuis erga me, & fratrem aucta fuerunt. Equidem adoleſcentulus maxime imitabilis, maximè imitandus videbaris; & eo ipſo etiam tempore, quo relicto Franciſci Ciceroi gymnaſio, ſub quo humanitatis amæniſſima ſtudia capeſſebamus ambo, ad Flaminium Platum nunc Cardinalem ampliſſimum, tunc verò iuris Inſti-

IVLII CAESARIS
RVGINELLI
I.C. MEDIOLANENSIS
PRACTICARVM QVAESTIONVM RERVMQVE IVDICATARVM.
Liber Singularis.

SVMMARIVM.

1 *Clauſulæ, ſola facti verita te inſpecta, non cognita vis adhuc.*
2 *De origine ipſius clauſulæ.*
3 *Quæ fuerit cauſa introducẽdæ ipſius clauſulæ.*
4 *Veritatem eſſe à quocunque iudice inquirendam.*
5 *Omnia iura veritatis inueniendæ cauſa prodita.*
6 *A quo iure fuerit deſumpta clauſula ipſa.*
7 *Iure communi non reperiri facti veritas, ſed rei veritas.*
8 *Quæ ſit veritas.*
9 *Quibus modis veritas inquiri poſſit.*
10 *An referat ſi dicatur ſola, an vero ipſa facti veritate attenta.*
11 *Dictio ſola diuiſionem non patitur, & excluſiua eſt.*
12 *Dictio ipſa, habet emphaſim & latẽtem vim quidditatis, & eſſentiæ veræ demonſtratiuam.*
13 *Veritatis fides verborum adminicula non deſiderat: veritas in contractibus potius quã ſcriptura proſpicienda eſt: veritas inſtrumentis præfertur, falſa demonſtratione nõ mutatur, & alia plura.*
14 *Mera veritas quærenda eſt.*
15 *Multum referre an clauſula ſola facti, &c. ſimplex ſit, an vero iuncta cum alijs clauſulis.*
16 *Intereſt an clauſula noſtra cognitioni apponatur, an vero definitioni.*
17 *Conſtitutionem Mediolani in tit. de off. Abb. & conſ. Mercatorum vti verbo decidere, atque ideo Abb. ipſos teneri ſeruare formam legum & ſtatutorum.*
18 *Quando cenſeatur conceſſa, & quibus verbis clauſula noſtra, ſola facti, vel ipſa facti veritate attenta.*
19 *Clauſulæ ſiat vt petitur vis.*
20 *Si cum clauſula ſummariè, ſimpliciter, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti veritate attenta, fuerit iuncta alia clauſula, iuſtitiam faciat, à communibus regulis iuris non eſt recedendum. & Rainaldus Corſus indagationũ iuris de lapſu notatur.*
21 *Falſam eſſe aſſertionem eorum qui dixerũt, iudicem datum cum clauſula ſola facti veritate*